The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Gregorius moralium lib. 4 (fol.54va-55va)

1. Quod apud nos ualet aqua baptismatis hoc egit apud ueteres uel pro paruulis sola fides uel pro maioribus uirtus sacrificii uel pro hiis qui ex abrahe stirpe prodierant misterium circumcisionis.

   Quod uero apud nos ualet aqua baptismatis, hoc egit apud ueteres uel pro paruulis sola fides, uel pro maioribus uirtus sacrificii, uel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4. praef. (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.160, ll.69-72).

2. Pereat dies in qua natus sum. et cetera. non ait pereat dies in qua conditus sum. sed pereat dies in qua natus sum. in die quippe iusticie homo est conditus sed iam in tempore culpe natus. adam enim conditus est sed caym primus est natus. quid est ergo diei natiuitatis maledicere nisi aperte dicere dies mutabilitatis pereat et lumen eternitatis erumpat?

   Pereat dies in qua natus sum…. Et notandum quia non ait: Pereat dies in qua conditus sum, sed: *Pereat dies in qua natus sum*. In die quippe iustitiae homo est conditus, sed iam in tempore culpae natus. Adam enim conditus sed Cain primus natus est. Quid est ergo diei natiuitatis maledicere nisi aperte dicere: Dies mutabilitatis pereat et lumen aeternitatis erumpat.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.1 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.166, ll.95, 100-106). cf. Iob 3:3

3. Pereat dies. et cetera. id est pereat delectacio que hominem in culpa rapuit. pereat incauta mentis infirmitas que usque ad tenebras praui consensus excecauit.

   Dicatur ergo: *Pereat dies in qua natus sum et nox in qua dictum est: Conceptus est homo*; id est pereat delectatio, quae in culpa hominem rapuit: pereat incauta mentis infirmitas, quae usque ad tenebras praui consensus excaecauit.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.13 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.180, ll.34-38). cf. Iob 3:3

4. Dies ille uertatur in tenebras. dies quippe uertitur in tenebras cum culpa in ipso delectationis exordio ad quem perditionis finem rapiat uidetur. in tenebras diem uertimus

cum nosmet ipsos districte punientes ipsa delectationis praue blandimenta per districta penitencie lamenta cruciamus cum flendo insequimur quicquid ex corde tacite de delectatione peccamus.

Dies ille uertatur in tenebras. Dies quippe in tenebras uertitur cum culpa in ipso delectationis exordio ad quem perditionis finem rapiat, uidetur. In tenebras diem uertimus cum nosmetipsos districte punientes, ipsa delectationis prauae blandimenta per districta paenitentiae lamenta cruciamus, cum flendo insequimur quidquid in corde taciti ex delectatione peccamus.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.14 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.181, ll. l-7). cf. Iob 3:4

5. Non requirat eum deus desuper. peccati delectacio a domino non requiretur si animaduersione spontanea punitur.

   Non requirat eum Deus desuper…. Hic itaque dies, id est, haec peccati delectatio, a Domino non requiretur, si animaduersione spontanea punitur, Paulo attestante, qui ait: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique a Domino iudicaremur*.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.15 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.181, ll.l, 3-7). cf. Iob 3:4; 1 Cor. 11:31

6. Et non illustret lumine. quia omne quod tegitur uelud in tenebris occultatur. in die extremi iudicii. non illustratur lumine quod non discutitur ultione.

   Bene autem sequitur: *Et non illustret lumine*…. Quia ergo omne quod tegitur, uelut in tenebris occultatur; in die extremi iudicii non illustratur lumine quod non discutitur ultione.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.15 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.181-2, ll.11, 18-20). cf. Iob 3:4

7. Et umbra mortis. Mediator simplam suam mortem duple nostre contulit et duplam nostram moriens subegit. Vnde et non immerito una die in sepulcro et duabus noctibus iacuit. quia uidelicet lucem sue simple mortis tenebris duple nostre mortis adiunxit.

   Obscurent eum tenebrae et umbra mortis…. Simplam suam duplae nostrae contulit et duplam nostram moriens subegit. Vnde et non immerito uno die in sepulcro et duabus noctibus iacuit, quia uidelicet lucem suae simplae mortis, tenebris duplae nostrae mortis adiunxit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.16 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.182-4, ll.1, 49-53). cf. Iob 3:5

8. Inuoluatur amaritudine. dies amaritudine inuoluitur cum ad cognitionem mente redeunte peccati blandimenta cruciatus penitencie secuntur. diem amaritudinem inuoluimus cum praue delectationis gaudium que supplicia sequantur aspicimus et asperis hic fletibus circumdamus.

   Inuoluatur amaritudine. Dies enim amaritudine inuoluitur, cum ad cognitionem mente redeunte, peccati blandimenta cruciatus paenitentiae sequuntur. Diem amaritudine inuoluimus cum prauae delectationis gaudium, quae supplicia sequantur aspicimus, et asperis hoc fletibus circumdamus.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.18 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.184-5, ll.1-6). cf. Iob 3:5

9. In spiritu uehementi et cetera. Tharsis quippe exploratio gaudii dicitur. sed cum uehemens penitencie spiritus mentem occupat omnem in ea explorationem reprehensibilis gaudii perturbat. ut nichil ei iam nisi flere libeat. nichil nisi quod se terrere possit attendat.

   Nisi enim recognoscentem se animum iste turbo contereret, nequaquam Ppropheta dixisset: *In spiritu uehementi conteres naues Tharsis*. Tharsis quippe exploratio gaudii dicitur. Sed cum uehemens paenitentiae spiritus mentem occupat, omnem in ea explorationem reprehensibilis gaudii perturbat ut nihil ei iam nisi flere libeat, nihil nisi quod se terrere possit attendat.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.19 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.185, ll.7-13). cf. Ps. 45:8

10. Maledicant ei qui maledicunt diei. illi ueraciter mala transacta per animaduersionem penitencie corrigunt qui iam ad bona fallencia nulla delectatione rapiuntur.

    Si enim diem laetitiam delectationis accipimus, recte de hac nocte dicitur: *Maledicant ei qui maledicunt diei*; quia nimirum illi ueraciter mala transacta per animaduersionem paenitentiae corrigunt qui iam ad bona fallentia nulla delectatione rapiuntur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.22 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.188, ll.3-8). cf. Iob 3:8

11. Qui parati sunt suscitare leuiatan. cum uniuscuiusque spiritus ad conditoris sui desiderium recalescit cum torporem negligencie deserit et frigus insensibilitatis pristine

igne sancti amoris accendit cum libertatis ingenite meminit et teneri ab hoste seruus erubescit quia idem hostis se considerat despici quia uias dei uidet apprehendi dolet contra se captum reniti. et mox zelo accenditur mox ad certamen mouetur mox ad temptationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat atque in omni arte lacerationis instigat ut temptationum iacula intorquendo confodiat cor. quod dudum quieto iure possidebat quasi dormiebat quippe dum sopitus in prauo corde quiesceret sed excitatur in prouocacione certaminis cum ius amiserit peruerse dominationis.

Qui parati sunt suscitare Leuiathan…. Sed cum uniuscuiusque spiritus ad conditoris sui desiderium recalescit, cum torporem negligentiae deserit et frigus insensibilitatis pristinae igne sancti amoris accendit. Cum libertatis ingenitae meminit et teneri ab hoste seruus erubescit, quia isdem hostis se considerat despici, quia uias Dei uidet apprehendi, dolet contra se captum reniti. Et mox zelo accenditur, mox ad certamen mouetur, mox ad tentationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat atque in omni arte lacerationis instigat, ut tentationum iacula intorquendo confodiat cor quod dudum quieto iure possidebat, quasi dormiebat quippe dum sopitus in prauo corde quiesceret, sed excitatur in prouocatione certaminis cum ius amiserit peruersae dominationis.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.23 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.188-9, ll.1, 8-20). cf. Iob 3:8

12. Quisquis accingi in diuino seruicio properat. quid aliud quam se contra antiqui aduersarii certamen parat. ut liber in certamine ictus suscipiat qui quietus sub tirannide in captiuitate seruiebat?

Quisquis enim accingi in diuino seruitio properat, quid aliud quam se contra antiqui aduersarii certamen parat ut liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub tyrannide in captiuitate seruiebat?

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.23 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.189, ll.26-29).

13. Sepe mens que aduersa multa et forcia superat unum in se et fortasse minimum quamuis magna intentione inuigilet non expugnat. quod nimirum diuina dispensatione agitur ne ex omni parte uirtutibus splendens in elationem subleuetur. ut dum in se paruum quid reprehensibile uidet. sed tamen hoc subigere non ualet. nequaquam sibi sed auctori uictoriam tribuat in hiis que subigere fortiter ualet.

Et saepe mens quae aduersa multa et fortia superat, unum in se et fortasse minimum, quamuis magna intentione inuigilet, non expugnat. Quod diuina nimirum dispensatione agitur, ne ex omni parte uirtutibus splendens, in elatione subleuetur, ut dum in se paruum quid reprehensibile uidet sed tamen hoc subigere non ualet, nequaquam sibi, sed auctori uictoriam tribuat in his quae subigere fortiter ualet.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.23 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.189, ll.33-39).

14. Obtenebrentur stelle caligine eius. stelle quippe huius noctis caligine tenebrantur. quando et hii qui magnis iam uirtutibus splendent. adhuc de obscuritate culpe aliquid renitentes sustinunt ut etiam magna uite claritate luceant. et tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant.

Obtenebrentur stellae caligine eius. Stellae quippe huius noctis caligine tenebrantur quando et hi qui magnis iam uirtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpae aliquid renitentes sustinent ut etiam magna uitae claritate luceant, et tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.24 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.189, ll.1-6).

15. Habitauit chananeus in medio effraym tributarius et cetera. dum inter acta sublimia uicia quedam parua retinemus quasi chananeum in terra nostra uiuere concedimus. qui tamen tributarius efficitur. quia hoc ipsum uicium quod subigere non possumus ad usum nostre utilitatis humiliter retorquemus. ut eo de se mens et in summis uilia sentiat quo suis uiribus etiam parua que appetit non expugnat. Vnde bene rursum scriptum est. hee sunt gentes quas dominus dereliquit ut erudiret in eis israelem. Ad hoc namque quedam minima uicia nostra retinentur ut sese nostra intentio sollicita in certamine semper exerceat. et eo de uictoria non superbiat quo uiuere in se hostes conspicit. a quibus adhuc uinci formidat. Israel uero reseruatis gentibus eruditur quando in quibusdam minimis uiciis elatio uirtutis nostre comprimitur. et in paruis sibi resistentibus discit quod ex se maiora non subigit.

Vnde et bene cum israelitico populo, percepta repromissionis terra, partiretur, Ephraim tribui Chananaeus gentilis populus non occisus factus tributarius dicitur, sicut scriptum est: *Habitauit Chananaeus in medio Ephraim tributarius*…. Sed dum inter acta sublimia, uitia quaedam parua retinemus, quasi Chananaeum uiuere in terra nostra concedimus. Qui tamen tributarius efficitur quia hoc ipsum uitium, quod subigere non possumus, ad usum nostrae utilitatis humiliter retorquemus, ut eo de se mens et in summis uilia sentiat quo suis uiribus etiam parua quae appetit, non expugnat. Vnde bene rursum scriptum est: *Hae sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem*. Ad hoc namque quaedam minima uitia nostra retinentur ut sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exerceat, et eo de uictoria non superbiat quo uiuere in se hostes conspicit, a quibus adhuc uinci formidat. Israel ergo reseruatis gentibus eruditur quando in quibusdam minimis uitiis elatio uirtutis nostrae comprimitur et in paruis sibi resistentibus discit, quod ex se maiora non subigit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.24 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.190, ll.9-13, 16-30). cf. Ios. 16:10; Iud. 3:1

16. Quare non in uulua mortuus sum. Quatuor modis perpetratur peccatum in corde. quatuor consummatur in opere. in corde namque perpetratur suggestione delectatione consensu et defensionis audacia. fit enim suggestio per aduersarium. delectatio per carnem. consensus per spiritum. defensionis audacia per elationem. culpa enim que terrere mentem debuit extollit et deiciendo eleuat. sed grauius eleuando supplantat.

    Quare non in uulva mortuus sum; egressus ex utero non statim perii? cur exceptus genibus? cur lactatus uberibus?... Quattuor quippe modis peccatum perpetratur in corde, quattuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu et defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per aduersarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim quae terrere mentem debuit, extollit et deiciendo eleuat, sed grauius eleuando supplantat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.27 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.193, ll.1-3, 9-15). cf. Iob 3:11-12

17. Quatuor modis peccatum consummatur in opere. prius namque latens culpa agitur. postmodum uero etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur. dehinc et consuetudinem ducitur ad extremum quoque uel false seductionibus uel obstinatione misere desperationis enutritur.

    Eisdem etiam quattuor modis peccatum consummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur; postmodum uero etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur; dehinc et in consuetudinem ducitur, ad extremum quoque uel falsae spei seductionibus, uel obstinatione miserae desperationis enutritur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.27 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.193, ll.28-33).

18. Crux exceptus genibus. et cetera. quia nimirum peccator cum iam de iniquitate sua non confunditur in iniquitate eadem etiam adminiculis pessime consuetudinis roboratur quasi genibus peccator fouetur. ut crescat dum culpa consuetudinibus firmatur. ut uigeat.

    Quare exceptus genibus? Quia nimirum peccator cum iam de iniquitate sua non confunditur, iniquitate eadem etiam adminiculis pessimae consuetudinis roboratur. Quasi genibus peccator fouetur ut crescat, dum culpa consuetudinibus firmatur ut uigeat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.27 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.195-6, ll.69-74). cf. Iob 3:12

19. Cur lactatus uberibus cum culpa in usum uenerit ei iam animus etiam si appetat debilius resistit. quia quot uicibus praue frequentationis astringitur quasi tot uinculis ad mentem ligatur. Vnde fit ut eneruis animus cum solui non ualet ad quedam se solacia false consolationis inclinet. quatinus uenturum iudicem tante sibi misericordie spondeat ut etiam eos quos arguendos inuenerit penitus non occidat.

    Cur lactatus uberibus? id est, postquam in culpae consuetudinem ueni, cur me ad atrociorem nequitiam uel falsae spei fiducia uel lacte miserae desperationis enutriui? Cum enim culpa in usum uenerit, ei iam animus etiam si appetat debilius resistit, quia quot uicibus prauae frequentationis astringitur, quasi tot uinculis ad mentem ligatur. Vnde fit ut eneruis animus cum solui non ualet, ad quaedam se solatia falsae consolationis inclinet; quatenus uenturum iudicem tantae sibi misericordiae spondeat ut eos etiam quos arguendos inuenerit penitus non occidat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.27 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.195-6, ll.89-99). cf. Iob 3:12

20. Sciendum quod tres modi peccancium iuxta descensus sui ordinem facilius corriguntur. quartus uero difficilius emendatur. Vnde et redemptor noster puellam in domo iuuenem extra portam in sepulcro autem lazarum suscitat.

    Sciendum quoque est, quod tres illi modi peccantium iuxta descensus sui ordinem facilius corriguntur, quartus uero iste difficilius emendatur. Vnde et Redemptor noster puellam in domo, iuuenem extra portam, in sepulcro autem Lazarum suscitat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.27 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.196, ll.109-113).

21. Quartum mortuum redemptor. nunciante discipulo agnoscit. nec tamen suscitat. quia ualde difficile est ut is quem post usum male consuetudinis etiam adulancium lingue excipiunt a mentis sue morte reuocetur.

    Quartum uero mortuum Redemptor noster nuntiante discipulo agnoscit, nec tamen suscitat quia ualde difficile est ut is quem post usum malae consuetudinis etiam adulantium linguae excipiunt, a mentis suae morte reuocetur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.27 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.196, ll.121-124).

22. Cum regibus et consulibus terrae. Sancti predicatores ecclesie reges sunt. quia semetipsos regere sciunt terrae consules sunt. quia terrenas mentes per exhortationis sue consilium ad celestia pertrahunt.

    Et cum quibus iam nunc quiesceret, insinuet dicens: *Cum regibus et consulibus terrae*. Reges quippe sunt sancti praedicatores Ecclesiae, qui et commissos sibi recte disponere,

et sua bene regere corpora sciunt; qui dum desideriorum in se motus temperant super subiectis cogitationibus lege uirtutis regnant, qui bene etiam terrae consules uocantur…. Reges sunt quia semetipsos regere sciunt; terrae sunt consules quia terrenas mentes per exhortationis suae consilium ad caelestia pertrahunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.29 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.200-1, ll.57-63, 65-68). cf. Iob 3:14

23. Qui edificant sibi solitudines. omnes qui uel illicita appetunt uel in hoc mundo aliquid uideri uolunt. densis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur. dumque desideriorum turbas intra se excitant prostratam mentem. pede misere frequentationis calcant.

Qui aedificant sibi solitudines. Omnes enim qui uel illicita appetunt, uel in hoc mundo uideri aliquid uolunt, densis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur dumque desideriorum turbas intra se excitant, prostratam mentem pede miserae frequentationis calcant.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.201, ll.1-5). cf. Iob 3:14

24. Sancti uiri. quia nichil huius mundi appetunt nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur. omnes quippe inordinatos desideriorum motus a cubili cordis manu sancte considerationis eiciunt. et quia transitoria cuncta despiciunt ex hiis nascentes cogitationum insolencias non paciuntur. solam namque eternam patriam appetunt. et quia nulla huius mundi diligunt magna mentis tranquillitate perfruuntur. unde recte dicitur.

At contra sancti uiri quia nihil huius mundi appetunt, nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur. Omnes quippe inordinatos desideriorum motus a cubili cordis manu sanctae considerationis eiciunt et quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur. Solam namque aeternam patriam appetunt; et quia nulla huius mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.203, ll.66-74).

25. Edificant sibi solitudines. solitudines edificare est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere. et una intentione eterne patrie in amorem intime quietis anelare.

Vnde recte dicitur: *Aedificant sibi solitudines*. Solitudines quippe aedificare, est a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere et una intentione aeternae patriae in amorem intimae quietis anhelare.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.203, ll.73-76). cf. Iob 13:14

26. Ecce elongaui fugiens. fugiens elongat quia a turba desideriorum temporalium in altam dei contemplationem se subleuat. manet uero in solitudine. quia perseuerat in remota mentis intentione.

    Ait enim: *Ecce elongaui fugiens, et mansi in solitudine*. Fugiens elongat, quia a turba desideriorum temporalium in alta Dei contemplatione se subleuat. Manet uero in solitudine quia perseuerat in remota mentis intentione.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.204, ll.107-110). cf. Ps. 54:8

27. A facie manus tue solus sedebam. quoniam comminatione replesti me. dum considero quid iam per iudicii experimentum pacior. a tumultu desideriorum temporalium trepidus mentis secessum peto. quia et adhuc acrius illa que minaris eterna supplicia formido.

    Consideret ergo uir sanctus, proiectus huc unde homo ceciderit, atque hunc post ista peccantem quo adhuc iustitia iudicantis rapit; et cunctas a se desideriorum temporalium turbas eiciat seque in magna mentis solitudine abscondat dicens: *A facie manus tuae solus sedebam quoniam comminatione replesti me*. Ac si aperte dicat: Dum considero quid iam per iudicii experimentum patior, a tumultu desideriorum temporalium trepidus mentis secessum peto quia et adhuc acrius illa quae minaris, aeterna supplicia formido.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.205, ll.119-127). cf. Ier. 15:17

28. Cum principibus qui possident aurum. recte sapientia auri appellatione signatur. quia sicut auro temporalia ita sapientia bona eterna mercantur.

    Cum principibus qui possident aurum et replent domos suas argento…. Aurum nempe sapientiam uidit quam thesaurum uocauit. Quae et recte auri appellatione signatur quia sicut auro temporalia, ita sapientia bona aeterna mercantur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.31 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.205, ll.1-2, 9-11). cf. Iob 3:15

29. Suadeo tibi a me emere aurum ignitum et cetera. Aurum emimus cum accepturi sapientiam prius obedientiam prebemus.

Si aurum sapientia non esset, nequaquam Laodiceae Ecclesiae ab angelo diceretur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum*. Aurum quippe emimus cum accepturi sapientiam, prius obedientiam praebemus.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.31 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.205, ll.11-15). cf. Apoc. 3:18

30. Ibi impii cessauerunt a tumultu. in hac luce impii a tumultu cessant dum peruersorum mentes ueritate cognita laboriosa mundi desideria faciunt. et tranquillitati intimi amoris acquiescunt.

Ibi impii cessauerunt a tumultu et ibi requieuerunt fessi robore…. In hac itaque luce impii a tumultu cessant dum peruersorum mentes ueritate cognita, laboriosa mundi desideria fugiunt et tranquillitati intimi amoris acquiescunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.33 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.209, ll.1-2, 10-12). cf. Iob 3:17

31. Et ibi requieuerunt fessi robore. concupiscit et defecit anima mea. in atria domini. qui ad appetenda eternitatis accenditur dignum profecto est. ut ab hoc temporalitatis amore lassetur ut tanto frigescat a studio seculi. quanto surgit ardentior in amorem dei.

Ibi impii cessauerunt a tumultu et ibi requieuerunt fessi robore…. Hinc rursum dicit: *Concupiuit et defecit anima mea in atria Domini*…. Qui enim ad appetenda aeternitatis atria accenditur, dignum profecto est ut ab hoc temporalitatis amore lassetur, ut tanto frigescat ab studio saeculi, quanto surgit ardentior in amorem Dei.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.33 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.209-10, ll.1-2, 38-39, 42-45). cf. Iob 3:17; Ps. 83:3

32. Anima mea liquefacta est. et cetera. Mens dum occulte locutionis aspiratione tangitur a statu sue fortitudinis infirmata ipso quo absorbetur desiderio liquatur. et inde se apud semetipsam fessam inuenit. Vnde ultra se esse conspicit fortitudinem quam conscendit.

An non robore suo fessam se inuenerat, quae dicebat: *Anima mea liquefacta est ut locutus est*? Quia nimirum mens dum occultae locutionis aspiratione tangitur ab statu suae fortitudinis infirmata, ipso quo absorbetur desiderio liquatur; et inde se apud semetipsam fessam inuenit unde ultra se esse conspicit fortitudinem, quam conscendit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.33 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.210, ll.47-53). cf. Cant. 5:6

33. Iacob quia angelum tenuit mox uno pede claudicauit. quia qui uero amore sublimia respicit. iam in hoc mundo duplicibus incedere desideriis nescit. uno enim pede innititur qui solo dei amore roboratur. et necesse est ut alius marceat. quia mentis uirtute crescente oportet procul dubio ut carnis fortitudo torpescat.

    Hinc Iacob qui angelum tenuit, uno mox pede claudicauit, quia qui uero amore sublimia respicit, iam in hunc mundum duplicibus incedere desideriis nescit. Vno enim pede innititur qui solo Dei amore roboratur; et necesse est ut alius marceat, quia mentis uirtute crescente, oportet procul dubio ut carnis fortitudo torpescat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.33 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.211, ll.56-61).

34. Non exaudierunt uocem exactoris. Quis alius debet nominis exactoris intelligi nisi importunus ille persuasor qui humano generi nummum deceptionis contulit. et ad hoc cotidie expetere mortis debitum non desistit qui in paradiso homini peccati pecuniam commodauit. sed iniquitate crescente hanc cotidie cum usuris exigit?

    Non exaudierunt uocem exactoris. Quis alius debet nomine exactoris intelligi nisi importunus ille persuasor, qui humano generi semel nummum deceptionis contulit, et ab hoc cotidie expetere mortis debitum non desistit? Qui in paradiso homini peccati pecuniam commodauit; sed iniquitate crescente hanc cotidie cum usuris exigit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.35 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.214, ll.1-6). cf. Iob 3:18

35. Audimus uocem exactoris cum eius temptatione pulsamur. sed non exaudimus si pulsati resistimus. audit enim qui temptationem sentit. exaudit uero qui temptationi consentit.

    Audimus autem uocem exactoris cum eius tentatione pulsamur, sed non exaudimus si pulsanti resistimus. Audit enim qui tentationem sentit; exaudit uero qui tentationi consentit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.35 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.214, ll.9-12).

36. Paruus et magnus ibi sunt tanta uis in illa pace nos sociat ut quod in se quisque non acceperit hoc se accepisse in alio exsultet.

    Paruus et magnus ibi sunt et seruus liber a domino suo…. Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diuersitas concors, quia tanta uis in illa pace nos sociat ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exsultet.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.36 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.214, ll.1-2, 6-9). cf. Iob 3:19

37. Et seruus liber a domino suo. ibi seruus liber a domino erit ubi iam de peccati uenia dubietas non erit. ubi iam securam mentem culpe sue memoria non addicit ubi non sub reatu animus trepidat sed de eius indulgentia libere exsultat.

    Ibi ergo seruus a domino liber erit, ubi iam de peccati uenia dubietas non erit, ubi iam securam mentem culpae suae memoria non addicit, ubi non sub reatu animus trepidat sed de eius indulgentia libere exsultat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.36 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.216, ll.42-45).

38. Erit in illa beatitudine culpe memoria non que mentem polluat sed que nos leticie alcius astringat ut dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur et debitorem se medico uerius intelligat et eo magis acceptam salutem diligat quo de molestia meminit quid euasit. In illa itaque leticia sic tunc sine tedio mala nostra conspicimus. sicut nunc in luce positi sine ulla cordis caligine animo tenebras uidemus. quia et si obscurum est quod mente cernimus de iudicio est hoc luminis. non de passione caritatis.

    Erit ergo et in illa beatitudine culpae memoria, non quae mentem polluat sed quae nos laetitiae altius astringat; ut dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur, et debitorem se medico uerius intellegat, et eo magis acceptam salutem diligat quo de molestia meminit, quid euasit. In illa itaque laetitia sic tunc sine taedio mala nostra conspicimus sicut nunc in luce positi, sine ulla cordis caligine animo tenebras uidemus; quia etsi obscurum est quod mente cernimus de iudicio est hoc luminis, non de passione caecitatis.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4.36 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.216, ll.63-71).